

NUMMI CASTRENSES

JULII III. PONTIFICIS: OCTA-

vij Farnesij, Parmæ Principis: Cusi durante bello
Parmensi. Anno Christi. 1551.



Pracipua belli Parmensis, quod in annum Christi 1551. incidit, capita ac Duces fuerunt Cæsar: Rex Gallia: Pontifex Julius III. Octavius Farnesius. Cæsar & Gallus jam antè in nummis exhibiti: posteriores ab illis hâc pugnâ conjunctos intueri licet. Octavius Dux Parmæ & Placentia, inimicissimus Ferdinando Gonzagæ Cæsaris per Insubriam præfecto, propter eadem patris, & creptam sibi Placentiam, veritus, ut Parmam suis ipse viribus retinere possit, in clientelam Henrici II. Galliarum Regis sese dedit. Indignissimè id ferens Julius, qui in Parmæ præsidium sumptus aliquandiu contulerat, Romam citat Octavium: citatus hic non comparet: sed Gallia Regis præsidij confirmatus Parmam contra Cæsarem & Papam suscepit defendendam. Diuturnum inde bellum oritur, diversoque sæpius Marte pugnatur, donec Cæsaris interventu pax tandem sancita fuit. *Pondus non est gravius universo orbis globo, quem humeris fulcire suis Atlas fingitur. Simile quid Pontificatus esse munus Julio videtur: grave scilicet, onerosum,*